




BVLLA INNOVANS ET CONFIR-
MANS CONSTITVTIONEM SIVE
EXTRAVAGANTEM PII. II. CON-
TRA APPELLANTES AD FV
TVRVM CONCILIVM
PER S. D. N. IVLIVM
II. PONT. MAX.
EDITA.



BVLLA INNOVANS ET CONFIR-
MANS CONSTITVTIONEM SIVE
EXTRAVAGANTEM PII II. CON-
TRA APPELLANTES AD PV-
TRVM CONCILIVM
PER S. D. N. IVLIVM
II. PONT. MAX.
EDITA.

VLIVS EPISCOPVS SERVVS

i Seruorum dei ad Perpetuam rei Memoriam.

Suscepti regiminis nos cura sollicitat ut eorū malitiis & audacie/ quorū sceleris cecitas & damnade ambitionis improbitas animos occupantes discordiarum satore ac scismatum inuentore & alumno humani generis inimico procurante/ eos in illā temeritatem impellūt ut que sibi a iure interdicta & a sanctis patribus etiam in cōgregatione fidelīū pro huius sancte sedis dignitate & ecclesie unitate seruandis ad scismatis occasionē tollendā quo in dei ecclesia pniciosior morbus inueniri uix potest/ spiritu sancto cooperante non minus prouide & salubriter quā necessarie decreta & statuta esse nouerint damnata audacia & exquisitis artibus & fraudibus attemptare temere conentē / & eis cōtrauenire contendūt/ nunc nouorū editione iuriū/ nūc antiquorū innouatione & declaratione/ nūc uero extē- sione & nouarū pœnarū adiectione prout salubriter expedire cōspicimus/ sollicitis studiis obuiare curemus.

Sane licet olim felicitis recordationis Pius Papa. II. predecessor noster de fratrū suorū sancte Romane ecclesie Cardinaliū cūctorūq; Prelatorū ac diuini & humani iuris interpretū Curiā romanā sequētīū in dieta seu congregatione Mantuanā existentīū approbatione/ matura prius & graui premissa discussione/ & de eorūde congregatorū unanimi consilio & assensu ac

ex certa scientia prouocationes ad futurū Conciliū
efficacissimis & palpabilib⁹ rationibus tanq̄ erroneas
& detestabiles dānauerit/ac sub excōmunicatiōis late
sententię & interdicti pœnis p̄ceperit/ne qua persona
cuiusuis dignitatis siue etiā Vniuersitas aut Collegiū
quouis queſito colore ab ordinationibus sentētiis seu
mandatis quibuscūq; suis ac successorū suorū appella
tionē hmōi interponere auderēt & cōtra facientes una
cum fautoribus suis & cōsiliū auxilium ue p̄stantibus
siue ii Tabelliones essent/siue testes/siue Aduocati/si
ue alii quicūq; nō solū pœnis & cēsuris p̄dictis sed et
his que lese maiestatis & hereticę prauitatis reis impo
nuntur obnoxios esse statuerit Leonardus tamē Lau
redanus Dux Rogati/ac generale Consiliū & Cōmu
ne Venetiarū omnesq; & singuli Patritii & Ciues Cō
munis eiusdē una cū Prouisoribus Potestatibus Cō
missariis & reliquis Officialibus suis/quorū auctorita
te industria cōsilio opera aut fauore Ciuitates Oppida
Castra Arces ad nos & sanctā Romanā ecclesiā legi
time pertinētes occupate fuerāt/aut detinebant de fra
trum nostrorū cōsilio a nobis requisiti & moniti ut in
tra certū terminū sub pœnis tūc expressis:Nos & san
ctam Apostolicā sedē plene & omni ex parte in con
cessa sibi auctoritate & libertate cum debita obediētia
recognoscerēt & reintegrarēt/ac Rauennā Ceruiā Ari
minū Fauentiā Sarfinā Ciuitates cū Oppidis Castris
Terris & districtu ipsarū/cūq; Cesenat. Forliuieñ ac
Imoleñ territorii Castris Oppidis Terris & locis que

occupabāt integre & expedite nobis & dicte Romane
 Ecclesie cuius iuris esse noscebantur relaxarent atq;
 inde recederēt nec impedirēt quominus illorum Ci-
 ues & habitatores ad pie Matris sue Romane ecclesie
 obediētia reuerterent omnes eorū fautores ab auxilii
 in talibus prestatione deterrēdo ita qđ requisitioni/mon-
 itioni & mandato nostro hmōi nō parentes/maioris
 excōmunicationis sentētia de simili cōsilio eo ipso in-
 nodati censerent /a qua preterq̄ in mortis articulo cō-
 stituti per aliū q̄ per Romanū Pontificē etiā pretextu
 cuiuscūq; facultatis cuiuscūq; pro tēpore cōcesse absolui
 non possent/qua quidē excōmunicationis sententiam
 in huiusmodi nō paritionis incursionis euentū iteratis
 etiā uicib⁹ aggrauauimus/paternis monitis & salutarī
 bus iussis obsequi prout debebāt indebite recusantes
 ceu quia iuri proprio diffidūt & superioris mādata cō-
 tumaciter obaudiūt ut que minus iuste usurparūt in-
 debite etiā cū animarū suarū detrimēto retineāt/ad pro-
 hibitū atq; damnatū remediū confugiētes a requisitio-
 ne/monitione & mādato/ac sentētiis cēsuris & pœnis
 p̄dictis nulla cōstitutiois Pii p̄decessoris hoc exp̄sse
 uetantis habita ratione ad futurū Cōciliū temere ut
 accepimus prouocarūt prout etiā p̄ditionis filii quon-
 dam Ioannes Bentiuolus & eius Nati cū eos a tyrāni-
 ca oppressione dilecte Ciuitatis nostræ Bononiæ ex-
 pellere decreuissēmus dānabiliter fecisse dicunt uide-
 licet ad p̄dictū futurū Cōciliū appellasse & puocasse.
 Nos igit quā detestanda sit eorū peruersitas attēdetes

qui propriis innixi comodis & nephariis cupiditatibus
incipati salubria decreta patrum & superiorum iussa spernentes
inconfutibile Christi tunicam scindere aut etiam scissionis cau-
sam prebere contendunt & ecclesie unitatem diuider
predicte sancte sedis Apostolice principatum tollere &
contra tot sanctorum patrum & sacrorum conciliorum decreta teme-
re & danabiliter magna audacia uenire non erubescant
& contra facere non uerentur asserentes inter cetera consule-
tes persuadentes determinantes seu determinationi humiliter
interessentes sola consilii prestantione seu persuasione deli-
beratione aut determinatione quod aliquibus casibus a Ro-
mano Pontifice seu eius sententia uel decreto ad fu-
turum concilium generale appellari possit dicta Pii prede-
cessoris constitutione non ligari nisi in ipsa actuali appel-
latione & illius interpositione uel scripture compositione
se immiscuerint ne de cetero tali assertione se excu-
sare ac tale quid imposterum presumere impune ualeant
opportuna tam immensi & periculoso morbo medela
adhibere uolentes hac generali & imperpetuum ualitura
constitutione ex certa nostra scientia & potestatis ple-
nitudine de Venerabilium fratrum nostrum sancte Roman-
ne ecclesie Cardinalium consilio promulgata sancimus
Constitutionem Pii predecessoris prefatam tam citra quam ultra
montes & in ultramontanis partibus quo ad omnes tam
ecclesiasticas quam seculares personas etiam regali digni-
tate ac Cardinalatus honore fulgentes Capitula Uni-
uersitates Communitates & Collegia Congregationes &
synodos ac parlameta ualuisse ualere & perpetuo uali

64

turam declaramus cū suppletionē solemnitatis cuiuslibet etiam publicationis ommissē cuius in illa edenda uel publicanda defectus p̄tendi posset que iuxta illam fieri requirebat eamq; ex preterito nunc & imposte inuolabiter obseruari mandamus ipsius uiolatores cuiuscūq; dignitatis existant p̄cenis & censuris in eadem expressis quocūq; tempore subiacere statuentes cōtraria consuetudine seu potius corruptela nō obstante decernētes & declarātes ultra penas ip̄ositas quas ip̄so facto dictos uiolatores & cōtraueniētes incurrere uolumus ipsos & eorum quēlibet pro ueris & indubitatis scismaticis & inconstitutis tūcē Dñi nostri Iesu Christi uiolatoribus & dissipatoribus ac de Catholica fide male sentientibus habēdos & reputandos penisq; canonicis & legalibus contra tales impostis subiacere & cum Dathan & Abyron partem & damnationē habere ipsasq; etiam penas & earum quālibet omnes illos incurrere uolumus cuiuscūq; cōditionis existāt & gradus prerogatiua fulgentes qui in Senatu Cōsiliis Parliamentis Congregationibus etiā synodalibus & prouincialibus uel alias quomodolibet tacite uel expresse uoce uel scripto per se uel alium cuiuscūq; timoris uel reuerentiē uel amine uel pretenfa excusationē & superioris mandato nō obstantibus decreuerint cōsuluerint seu deliberauerint uel aliorū dicta approbauerint Cōsiliū aut uocē dederint ut ad futurū uniuersale cōciliū a nobis uel successoribus nostris Romanis Pontificibus cōtra predictam Constitutionem appellare liceat

possit uel debeat dictas penas ad ipsos & eorū quēlibet cōtrauenientē in premissis tenore presentium extendentes & locum habere declarātes omni ambiguitate cessante. Et nihilominus prouocationes & appellationes tam per Leonardū Ducē Rogatos Consilium & Cōmune Venetiāz factas huiusmodi q̄ per quoscūq; alios p̄dictos pro tpe faciendas & inde secuta quecūq; utpote cōtra Pii predictā ac p̄sentē Cōstitutiones attēptatas nullas prout sunt & iualidas nulliusq; roboris uel momēti fuisse & pro tpe fore auctoritate sciētia & potestate similibus statuimus decernimus & declaramus ac pro potiori cautela cassamus & annullamus & ultra supradictas penas quas cōtra Cōstitutionis huiusmodi uiolatores in suo robore permanere decernimus loca quecūq; ad que uiolatores ipsos declinare & in quibus scienter stare permitti contigerit ecclesiastico supponimus interdicto decernētes illud quādiu ipsi uiolatores inibi sciēter steterint ut presertim & per triduiū post eorū inde discessum firmiter obseruari ac presentes litteras in quinterno Cancellarie etiā describi mandamus. Nō obstantibus premissis ac Cōstitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisq; contrariis quibuscūq;. Nulli ergo omnino hoīum liceat hāc paginā nostre sanctionis declarationis mandati statuti decreti uolūtatis extēnsionis cassationis annullationis & suppositionis infringere uel ei ausu temerario cōtraire. Siquis autē hoc attemptare p̄sumpserit indignationē omnipotētis Dei ac Beatorū Petri &

Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.
Datū Rome apud sanctū Petrū Anno Incarnationis
Dominice Millesimoquingentesimonono Kal. Iulii
Pontificatus nostri Anno Sexto.

Sigismundus.

Ia. Questemberg.

D.d. Quilloslada.

Anno dñi millesimo quingentesimo decimo Tēpore
Pont. sanctissimi in xpo pñis & Dñi nrī dñi Iulii diui
na prouidētia pape. II. indictione decima tertia Anno
septimo Pontificatus sanctissimi, D. N. Die uero de
cima sexta mēsis Nouembris Retroscripte littere apo
stolice affixe & publicate fuerūt in Valuis ecclesie san
cti Petronii collegiat. & sancti Petri Cathedralis Ci
uitatis Bononie & ibidē per spatiū unius hore ut mor
ris est p me Iustinianū Saxeū sanctissimi, D. N. pape
Cursorē. Ita est pro magistro Cursorꝝ Vianus de bel
lauilla Iunior Cursor.

Anno Indictione mense & pontificatu quibus supra
Die uero uigesima prima mēsis predicti Retroscripte
littere apostolice lecte & publicate fuerūt in audientia
litterarū cōtradictarꝝ dñi nostri pape ut moris est Bo
nonie in ecclesia sancti Petronii pñtibus ibidē discre

ris uiris dñis Matheo uitalis & Didaco de Villoslada
ac Ioanne martelli dicte audientie Procuratoribus te-
stibus uocatis & rogatis. Ita ē Bartholomeus Gueri-
nus dicte audientie Notarius deputatus subscriptus.

Anno a Natiuitate dñi millesimo quingētesimo deci-
mo Inditione tertiadecima: Die uero decima septima
mensis Decēbris pontificatus sanctissimi in xpo p̄ris
& dñi nri dñi Iulii diuina prouidētia pape secūdi anno
octauo Retroscriptę liitere bulle Apostolice affixe &
publicate fuerunt in Valuis siue Portis Cancellarie
Apostolice Bononie p me Reginaldū de Cruce san-
ctissimi dñi nostri pape Cursorem.

Registrata apud me Sigismundum.

Registrata fuit in quinterno Cancellarie.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

Second block of faint, illegible text in the upper middle section.

Third block of faint, illegible text in the middle section.

A small, faint handwritten mark or signature at the bottom left.